

## Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura<sup>1</sup>

### Abbreviations

|       |                  |
|-------|------------------|
| add.  | addidit          |
| del.  | delevit          |
| fol.  | folium           |
| marg. | marginē          |
| om.   | omittit          |
| [...] | additio          |
| <...> | additio editoris |
| (?)   | lectura incerta  |

### Liber 2, distinctio 25, circa 2, quaestio 2. (fol. 31va)

#### Utrum liberum arbitrium possit impediri per impedimentum corporis?

Secundo quaeritur, utrum liberum arbitrium possit impediri per impedimentum corporis?  
Et videtur quod non, quia omne illud, quod ad  
sui actionem non requirit aliquid extrinsecum, a nullo extrinseco  
potest impediri. Sed voluntas est huius. Probatio minoris, quia Anselmus dicit,  
quod est instrumentum se ipsum movens.

Item, quod potest impediri  
non est omnino liberum, quia eo ipso quod posset impediri deficitur a libertate.  
Sed liberum arbitrium ex se et per sui naturam est penitus liberum, ut  
dictum fuit, ergo etc.

Item, si liberum arbitrium potest impediri, maxime  
videtur, quod in dormientibus possit impediri. Sed tunc non potest, ergo etc.  
Probo, minor patet, quia dormiendo sillocizamur, et consentimus bonis  
actibus, et dissentimus. Sed non est credendum, quod magis ligetur  
voluntas quam intellectus, ergo etc.

**Contra**, Bernardus dicit, *De libero arbitrio*,<sup>2</sup>  
quod insanis, pueris, et dormientibus nihil quod faciunt imputatur.  
Sed constat, quod frequenter contingunt multa talibus, quae de se, si essent  
per liberum arbitrium acceptata, essent peccata. Ergo ex quo non sunt peccata,

---

<sup>1</sup> The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 25, c. 2, q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

<sup>2</sup> Bernardus Claraeuaensis, *De gratia et libero arbitrio* cap. 2, n. 5.

non est dare aliam causam nisi, quia(?) excusantur, quia non habent tunc usum liberi arbitrii.

**Respondeo**, dicendum, quod sancti dicunt et experientia docet, quod liberum arbitrium recipit impedimentum ex parte corporis, et omnes concordant in hoc. Sed ratio quare hoc sit varie assignatur a diversis. Quidam enim dicunt sic, quod ligatur propter ligationem rationis, quae ratio non ligatur, nisi quia ligantur vires inferiores servientes sibi.

Unde Commentator, *III De anima*, dicit, quod intellectus non intelligit sine virtute ymaginativa, quae ligatur in sompno, ut dicit Commentator, *De Sompno et vigilia*. Et ex hoc procedit, quod anima in sompno nescit discernere inter ymaginativam visionem et corpoream, quia non potest discernere, dicendo hoc virtus non est illa, quia iam apprehenderet(?) utraque, quod non potest esse, nec facere, nisi virtus cogitativa, sicut dicit Avicenna, *VI Naturalium*, et hoc in sompno ligatur.  
<31vb>

Sed contra istum modum videtur esse, quod Augustinus dicit, *XII Super Genesim*,<sup>3</sup> et experientia docet, quod frequenter in sompno anima dicit se sompniare, et hoc est se reflectere supra actum suum. Aut ergo hoc facit ymaginativa, aut cognitiva, aut intellectiva. Si ymaginativa, ergo supra actum suum posset se reflectere, quod falsum est. Si cogitativa, ergo non semper ligatur, et tamen positio dicit quod ligatur. Si vero intellectiva, ergo potest habere actum suum, dato quod cogitativa ligetur, ergo illa non erat causa, quia ea ablata adhuc sequitur.

Dicendum est igitur aliter, quod sicut dictum fuit superius, anima tota coniungitur corpori, sed non secundum omnes potentias suas, cum non communicet actus aliquarum potentiarum corpori. Sed existentia eius in corpore requirit ordinem potentiarum in suo actu. Et praesupponit tamquam perfectum imperfectum, quia intellectus non videtur posse sine usu aliarum potentiarum habere actum suum, quia admissio uno sensu, necesse est admittere scientiam, quae est nata acquiri per illum sensum.

Videtur ergo esse duplex causa quare hoc fit. Et una est nimia intensio (sic) aliarum potentiarum in actibus suis(?). Et hoc aut ex parte vegetativae, ut quando est multum intenta ad nutritionem corporis et augmentationem, sicut patet in pueris. Nam cum istae omnes potentiae sunt radicate in una essentia, una propter aliam nimis intentam remittitur in actu suo, secundum Avicenna, *VI Naturalium*.

Aut est ex parte sensitivae, ut quando est nimis intenta in experientia sensibilibus, sicut patet in venereis, quod non contingit tunc aliquid intelligere, secundum Philosophum, *VI Ethicorum*.

---

<sup>3</sup> Augustinus, *Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 12.

Et Augustinus qui, *XIV De trinitate capitulum VI*,<sup>4</sup> movet quaestionem unde est quod mens infantis tantas tenebras ignorantiae patitur, quod se cogitare non potest. Et respondet quod est, quia nimis est intenta in eas res, quas colligit per sensus, tanto maiorem quanto noviore coeperit delectationem sentire. Et dicit, quod ignorare se non potest, seque cogitare non potest. Et dat exemplum de strabonibus pueris, aspicientibus lumen propter quod strabones saepe efficiuntur.

Sed adhuc oportet, quod alia causa detur, quia ista non est tota causa. Est autem secunda causa organorum animae impeditio, ratione cuius privatur intellectiva obsequio potentiarum inferiorum. Et hoc contingit ex vaporum et fumorum in cerebro (sic) multiplicatione, qui habent impedire intellectus aspectus, quando via spirituum clauditur, vel quando organum memoriae repletur. Quando enim aliquis impeditur, prius perdit sui supremum quam medium vel infirmum(?). Exemplum in infirmo, in homine enim sano perfectius est posse ambulare quam tantum se movere, et posse currere perfectius est quam posse ambulare. Cum autem infirmatur, prius perdit posse currere quam ambulare, et ambulare quam movere se. Si autem ista duplex causa non sufficit, quilibet assignet aliam sicut sibi videtur.

**Ad primum argumentum,**

dicendum, quod verum est quod voluntas movet se ipsam, sed bene requirit obiectum apprehensum circa quod se moveat. Apprehendere autem non potest sine adiutorio intellectus, qui impeditur in suo actu.

**Ad secundum,** dicendum, quod liberum arbitrium dicitur liberum a coactione, quia eo liberum est, quod quicquid vult, libere vult et non coacte. Et non sequitur, quod si impeditur, quod propter hoc cogatur, sed subtrahitur eius facultas adiutorii sine quo in isto statu aliter de lege communi suum actum non elicit.

**Ad tertium,** dicendum, quod illud, quod apparet in sompnis, non est actus intellectus, nec voluntatis proprie, cuius signum est, quia semper apparet postea fuisse ibi aliquis defectus. Sed illud procedit a quadam virtute sensitiva et qui collativa, sicut apparet in formicis et apibus.

---

<sup>4</sup> Augustinus, *De trinitate* lib. 14, cap. 5.